

beneficia concernunt, lapsum hominis præsupponant: tum à *formali*, quia verbum revelationis in historia Creationis sua gaudet *veritate, rectitudine, perspicuitate, perfectione* &c. nihil ergo, quoad modum revelationis, hic desiderari potest, unde *formale* revelationis erit *adæquatum*: tum à *posteriori*, vel à *finali*, quia Creationis historia, tanquam *medium divinæ cognitionis*, mentes hominum illuminat, ipsum Deum evidenter manifestat, sufficientem temporibus illis cognitionem suppeditat, in hac notitia pios consolidat, & immotam notitiam iis præstat, ac proinde suam adæquatam sufficientiam, quoad Dei notitiam atq; cultum, accuratè comprobat.

9. (7) *Fundamentum Obligatorium*: non enim Deus frustra sui notitiam in Historia Creationis manifestavit, neque statim post patefactionem ad se retrahere, vel sibi propriam servare cogitavit, sed potius nostris mentibus destinavit, & ad sui cognitionem omnes homines obligavit, tum *obligatione naturali*, quia τὸ γινώσκον τῆ θεῶν mentibus nostris inscripsit, ita ut vere dicatur τὸ γινώσκον τῆ θεῶν φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς Rom. I. 19. tum *obligatione morali*, quia notitias infinitas de Deo propterea nobis hominibus implantavit, ut perpetuum essent ulterioris Dei cognitionis motivum & incentivum, efficax aliquod medium, quo sibi plenior ex creaturis notitiam Dei compararet, & ad perfectam Dei sui notitiam, tanquam ad scopum optimum collimaret. *Dei notitia summa nostra sapientia, summa nostra gloria. Nosse te, Deum nostrum, dicitur Sap. XV. 3. perfecta justitia, & scire virtutem tuam radix est immortalitatis*: tum *obligatione causali*, quia tanquam *Pater, & Creator*, nobis omnia dedit, sicut confitemur in *Symb. Apost. art. 1. Credo, quod Deus creavit me una cum omnibus creaturis, corpus & animam, rationem & sensus, & omnia mihi dedit* &c. sicut igitur ingratisimum esset, si *liberi* suos *parentes naturales* cognoscere nollent, à quibus & vitam, & cuncta vitæ bona trahunt; ita longe major ingratitudo foret, si *Patrem cælestem*, autorem vitæ, cunctorumq; bonorum agnoscere nollemus: quemadmodum autem *liberi* sunt *obligati Parentibus* suis, tanquam *autoribus vitæ* suæ; sic etiam *obligatio* talis, respectu *Creatoris*, cunctis hominibus incumbit: tum *obligatione civili*, quia noster est *Dominus, Rector, & Governator*, qui nobis gubernatione sua varia bene-

B

bene-